K - Hugh - Bishop of Byblos

708. i 21
2J

PROCESSUS

TANGENS

Episcopum Biblensem.

[Plac. Parl. p. 282.

IN nomine *Domini Amen.* Anno Incarnationis ejusdem *Millesimo* tricentesimo quinto indictione tercia die quinto mensis *Aprilis* apud *Westm.* juxta *Lendm.* dominus *Hugo* qui se gerit pro *Episcopo Biblensi* coram *Episcopis* & aliis *Prelatis Comitibus Baronibus Justiciariis* & nonnullis aliis nobilibus clericis & laicis *Consiliariis magnifici Principis* domini *Edwardi Regis Anglie* illustris in domibus *Archiepiscopi Eborum* in quibus dictus dominus *Rex morabatur* generali *Parliamento* tunc existente ibidem, quasdam literas felicis recordationis *Benedicti Pape* xi. presentavit porrexit & tradidit formam que sequitur continentes. *BENEDICTVS Episcopus serv. servorum Dei venerabili fratri . . . Episcopo Dunelmensi salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis tua peticio continebat quod Saraceni Christiani nominis inimici Episcopatum Biblensem occuparunt hactenus & adhuc detinent occupatum & per hoc venerabilis frater noster Hugo Biblensis Episcopus egestate gravatur cum aliunde non habeat de quo secundum status sui decenciam valeat sustentari. Quare nobis humiliter supplicasti ut provideremus super indigencie de benignitate apostolica dignaremur Nos igitur hujus modi

inopie paterne compatientes affectu, digneque volentes ei per noſtre proviſionis auxilium ſubſidium aliquod provenire tuis ſupplicationibus inclinati providendi ſibi auctoritate noſtra per te vel per alium ſeu alios de cella ſeu Prioratu de Goldingham Ordinis Sancti Benedicti, Sancti Andre dioceſis ad Dunelmenſem eccleſiam ejuſdem ordinis pertinente cujus adminiſtrationem Prior Eccleſie predicte aliquem de Monachis ipſius eccleſie deputat & exinde amovet pro ſue libito voluntatis, cum omnibus juribus & pertinenciis ſuis, ab eodem Epiſcopo quoad vixerit vel uſque ad recuperacionem dicti Epiſcopatus retinendo, ac inducendi eum in corporalem poſſeſſionem ejuſdem Celle ſeu Prioratus, & inductum etiam defendendi amotis exinde quibuſlibet qui ad gerendum adminiſtrationem ipſius Celle ſeu Prioratus per dictum priorem fuerint deputati ac faciendi ei de ejuſdem Celle ſeu Prioratus redditibus proventibus juribus obventionibus univerſis integre reſponderi, Necnon & contradictores ſuper hoc per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi, Non obſtantibus contrariis ejuſdem eccleſie conſuetudinibus vel ſtatutis juramento confirmationis Sedis apoſtolice ſeu quacumque alia firmitate roboratis, aut ſi predictis Priori & dilectis filiis Capitulo ipſius Eccleſie vel quibuſcumque aliis communiter vel diviſim a predicta ſede indultum exiſtat quod excommunicari ſuſpendi vel interdici non poſſint, ſive quod de Cellis ſeu Prioratibus ad eorum proviſionem ſeu quamcumque diſpoſitionem ſpectantibus nequeat aliquibus provideri per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dicte ſedis indulgencia generali vel ſpeciali cujuſcumque tenoris exiſtat per quam preſentibus non expreſſam vel totaliter non inſertum effectus hujuſmodi gratie impediri valeat vel differri, & de qua in noſtris literis ſpecialis mentio ſit habenda, fraternitati tue plenam concedimus tenore preſentium facultatem. Dat. Rome apud S. Petrum iij Non. Aprilis Pontificatus noſtri anno primo. Quibus quidem literis *Apoſtolicis* ut premittitur preſentatis viſis examinatis & plenius intellectis requiſitionem quam predictus *Epiſcopus Biblienſis* fecit predicto domini *Regi* ſcilicet quod placeret eidem & benigne permitteret ut *Prioratus* de *Goldyngham* in *Scocia Sancti Andree Dioceſis* valeat adhipiſci juxta conceſſionem & aſſignationem per ſupraſcriptas literas apoſtolicas ſibi ſpecialiter inde factas. Habitaque deinde per conſilium ejuſdem domini *Regis* ſuper requiſitione & peticione hujuſmodi deliberatione plenaria, ex parte ejuſdem domini *Regis* per *Conſilium* ſuum datum fuit predicto *Epiſcopo* preſenſialiter tale reſponſum videlicet *Peticio* iſta ſi concederetur foret manifeſte prejudicialis predicto domino *Regi* & *Corone* ſue regie, & idcirco non eſt conceſſibilis in hac parte.

Acta fuerant omnia ſupraſcripta Anno *Indictione* die & loco preſcriptis preſentibus venerabilibus in *Chriſto* patribus & dominis *Waltero Coventrenſi* & *Lichefeldenſi Theſaurario Anglie* ac *Antonio Dunelmenſi* & *Johanne Carleolenſi Epiſcopis*, necnon *H. Lincolnie Humfrido Herefordie G. Warwici Comitibus*, *Aymero* de *Valencia*, *Johanne* de *Britannia*, *H.* de *Percy*, *R.* de *Clifford*, *H.* de *Veer*, *Waltero* de *Teye*, *Adam* de *Welles*, *Johanne Beteteurt*, *Rogero* de *Brabanzon*, *Johanne* de *Inſula*, *Roberto* de *Burghesſe*, *Radulpho* de *Sandwico*, *Rogero* de *Heghham*, *Nicholao Fermband*, *Willielmo* de *Bereford*, *Willielmo Howard*, *Petro* de *Malore*, *Henrico Spigurnell* & *Willielmo Inge Militibus*. Ac diſcretis viris dominis *Johanne* de *Drokenesford*, *Johanne* de *Berewico* & *Johanne* de *Benſtede* necnon & *Magiſtro Reginaldo* de *Brandon*, *Roberto* de *Pykeryng* & *Willielmo* de *Kilkenyn*. clericis ſeſtibus ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et ego Johannes dictus Benbs de London. domini pape auctoritate Notarius publicus omnibus interfui ſupraſcriptis & predictum tranſcriptum exemplum ſeu ſumptum per me a ſuo originali tranſumptum & cum domino Petro de Malore Juſticiario domini Regis Anglie illuſtris & Magiſtris Iohanne de Cadamo & Gilberto de Lotegerſhale Notariis publicis diligenter aſcultavi nil addens vel minuens quod ſenſum mutet vel viciet intellectum hic in inſtrumento preſenti ſcripſi una cum aliis

omnibus

omnibus prenotatis & predictum exemplum seu sumptum cum suo originali reperi concordari me in testem subscripsi ac prescripta omnia publicavi meoque signo consueto signavi rogatus.

Et ego Iohannes Ercuri de Cadamo apostolice sedis auctoritate Notarius publicus hoc exemplum una cum prefatis domino P. Justiciario & Magistris J. & G. Notariis publicis ad literas apostolicas suprascriptas fideliter & diligenter ascultavi. Et quia dictum exemplum cum ipsis litteris Apostolicis concordare inveni, in ejusdem exempli plenam fidem & testimonium me testem subscripsi & rogatus signum meum apposui consuetum. Et memorandum quod predictum Instrumentum in plena Scaccaria liberatur die Martis xviij. die anno xxxiij. Willielmo de Brichull & Willielmo de Persore Camerariis ad Custodiendum in Thesauraria Regis.

PROCESSUS

TANGENS

Epiſcopum Biblienſem.